


PAG.	PAG.
— Prudentem Imperatorem operam dare debere, ut suis militibus pugnandi necessitatem imponat; hostibus vero omnem pugnae necessitatem demat . . . . .	122
— Conversio passivi in activum . . . . .	167
— De sede propositionis infinitivae . . . . .	187
— De sede propositionis coniunctivae . . . . .	188
Venceslaus Aloisius Svoboda poëta latinus ( <i>F. Palata</i> ) . . . . .	21, 39
Christianorum poëtae: De Sodome et de Iona poëmatibus ( <i>A. Aureli</i> ) . . . . .	55
Lyricorum christianorum incunabula ( <i>Aureli</i> )	91
Nonnulla ab Andrea Cricio carmina ( <i>H. Lis</i> )	97
De versionibus latinis Campanae Schilleriae- nae ( <i>F. Palata</i> ) . . . . .	111
De carminibus regni Chuu ( <i>C. M. Alegria</i> )	127
De invalescente incuria legum prosodiaca- rum et metricarum ( <i>Aristarchus</i> ) . . . . .	134
Libamenta ex Clementis Ianicii carminibus oblata ( <i>H. Lis</i> ) . . . . .	145
Sacerdos idemque mathematicus et poëta Latinus ( <i>F. Palata</i> ) . . . . .	164
De Thoma Ceva et Stanislao Vydra ( <i>F. Pa- lata</i> ) . . . . .	183
Nostra res: Ad renovandum latinae linguae usum ( <i>I. Holzer</i> ) . . . . .	98, 120, 175
<b>Medicae nota</b>	
Praecepta ad sanitatem tuendam ( <i>I. Waldsch- midt</i> ) . . . . .	66
Florum microbi ( <i>R. S.</i> ) . . . . .	85
De aëris temperie deque mentis motibus ( <i>R. S.</i> ) . . . . .	101
De signis prognosticis ( <i>I. Waldschmidt</i> )	102, 157
<b>Pagina Herderiana</b>	
« Antike » ( <i>A. Haberl</i> ) . . . . .	64
<b>Sententiae</b> 7, 45, 48, 60, 86, 100, 102, 134, 149, 191, 194	
<b>Vacui temporis hora</b>	
Pro iudicibus mensarum elegantibus esca- rum ordines ( <i>I. F.</i> ) 15, 52, 69, 106, 123, 142, 160, 178, 195	
Iocosa ( <i>I. F.</i> ) 15, 33, 69, 106, 124, 142, 178, 195	
Aenigmata ( <i>F. Palata</i> ) 16, 34, 69, 88, 106, 124, 160, 179, 196	
<b>Varia</b>	
Arcendae ebrietatis ritus apud Maiores ( <i>A. L.</i> ) . . . . .	26
Exercitationes aëris custodiae in territorio industrioso Silesiae superioris ( <i>H. Lis</i> )	29
Ludi et festa mensis Maii ( <i>D. T.</i> ) . . . . .	82
Quatenus animalium vita ( <i>Alpha</i> ) . . . . .	83
Hominum fastidia ( <i>P. d. V.</i> ) . . . . .	139
Caelestia ( <i>M. L.</i> ) . . . . .	171
Adnotationes ad sollemnia natalicia Christi ( <i>H. Lis</i> ) . . . . .	173
<b>Vetera et Nova</b>	
De ephemeredibus ( <i>Hyacinthus P.</i> ) . . . . .	13



*Pauca exemplaria reperta sunt*

IOANNIS B. FRANCESIA actionis dramaticae, versis senariis conscriptae,  
cui titulus:

## EUPLIUS

Venit libell. italic. 2; quibus addenda erunt libell. 0,60 in Italia;  
libell. 1 apud exteris nationes, pro transmissionis expensis.

Praeterea

Apud Commentarii Administratorem venumdantur JOSEPHI FORNARI  
Milesiae fabulae latine scriptae scenisque accommodatae apud  
ephebea facile agendis:

## FRIDIANUS-FRANCISCULI PRANDIUM

Singulae pretio italic. libell. 2.

(*lis vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus.*)


Pro lectoribus novisque sociis, qui **integram ALMAE ROMAE collectionem** habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum MCMXXXVII, paucorum exemplarium quae supersunt pretium constituius libellarum 600 pro Italia; pretium duplicatum, libell. italic. scilicet 1200, pro exteris gentibus.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam syngrapham in Urbe exigendam, *recto tramite* requirendae sunt ab **ALMAE ROMAE** administratore (*Roma, 12, Via del Governo Vecchio, 96*): quod enim pretium positum est, non sinit ut foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

Ann. XXV

Romae, mense Decembri MCMXXXVIII

Fasc. XII



# ALMA ROMA

## LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium subnotationis an. MCMXXXVI est pro Italia libell. 15; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 30 exaequans; *ante solvendum rectoque tramite mittendum* sive ad JOSEPHUM FORNARI doctorem *Romam, Via del Governo Vecchio, 96* sive ad *Typographiam Polyglottam Vaticanam, Città del Vaticano*

SOCIIS ET LECTORIBUS COMMENTARII  
NOSTRI HUMANISSIMIS *Natalis Dominici*,  
quae imminent, ferias, et novum annum  
fausta ac felicia ominamur ex animo.  
Sit cum iis exoptatae ab universo ter-  
rarum orbe pacis adventus; sit in pri-  
mis apud omnes homines bona illius  
voluntatis animus, quo tantum pacem  
obtineri posse Christus iam ex Bethle-  
mitico specu edixit.

Proposita nostra quae ad annum  
MCMXXXIX futura erunt in numero pro-  
ximi mensis Ianuarii de more explana-  
bitur; hodie tantum praenuntiamus,  
subnotationis pretium immutatum per-  
stitutum, libell. scilicet 15 pro Italia;  
libell. italic. 30 pro exteris gentibus.

Rogamus denique iterum iterumque  
illos, qui nondum consociationis pre-  
tium huius anni solverunt, ne ulterius  
remorentr; quin etiam, tutissime se  
gerant pretium anni MDCCCCXXXVIII una  
cum a. MDCCCCXXXIX statim mittentes.

ALMA ROMA

## HISTORICAE NOTAE

De publico rerum ordine in primitiva  
Societate Romana<sup>1</sup>

Disputatum est, nec lis adhuc est defi-  
nita, utrum Gens fuerit ante civitatem  
constitutam, cuius habenda sit «ele-  
mentum praeformativum», an potius, consti-  
tuta iam civitate, divisio eiusdem in Gen-  
tes ab eo fuerit inducta, qui primus civi-  
tatem ordinaverit. Niebhur, et post eum  
antiquiores iuris Romani historici, hanc  
tenent opinionem; illam vero defendant,  
post Hreng et Summer Maine, etiam Bon-  
fante et recentiores fere omnes.

Arguunt primi: Dionysius Halic. (II, 7)  
refert Curias divisas fuisse in Decades;  
Decades autem nihil aliud esse possunt  
nisi Gentes: quum igitur divisio in Curias  
inducta sit post urbem constitutam, ideo  
et Gentes. Praeterea Gentis definitiones,  
quas classici latini scriptores exhibent,<sup>2</sup>  
praetereunt omnino sanguinem commu-  
nem; notant solum nomen commune; quod  
facile tantum intelligitur, si nomen datum  
est ad significandam certam quamdam de-

<sup>1</sup> Cfr. fasc. sup.

<sup>2</sup> Cic., Top., 6, 29; CINCIVS ALIM. in PAUL.  
DIAC., p. 994.

finitionem inductam post urbem iam constitutam.

Respondent alteri: Non constat Decades esse idem ac Gentes: id enim affirmare omnino arbitrarium est; et quod Dionysius Halic. affirmit nullus alius rerum scriptor testatur. De divisione autem in Curias et Curiarum in Decades notandum est, Romam Palatinam traditione exhiberi ut coloniam Albanam; nihil igitur mirum si concludimus trecentas illas Gentes, ex quibus urbs quadrata constituta fertur, fuisse trecentas familias, quae ex civitate Alba Longa missae fuerint ad novam coloniam Palatinam efformandam. Ceterum constat consueisse Romanos ad colonias efformandas novas, etiam recentiore tempore, trecentas mittere familias.<sup>3</sup>

Consanguinitatis autem elementum inseparabile fere est apud classicos scriptores a nomine Gentis, quae, ut plurimum, apud eosdem pro familia sumitur, et vice versa, ut vidimus in *Dig. lib. XVI*, 195 § 2;<sup>4</sup> et in 4: «Item appellatur familia plurimum personarum, quae ab eiusdem ultimi generis sanguine profiscuntur (sicuti dicimus familiam Iuliam), quasi a fonte quoddam memoriae eodem ortae sint». <sup>5</sup> Praeterea nemo unquam Genti ulli nomen indidit alicuius aut regis aut herois civitatis; atqui si Gentes post civitatem inductae atque descriptae fuerint, aliqua saltem ex iis nomen ab illis habuerit.

His adhaereo, animadvertis tamen Gentes licet civitati praeiverint, eamque ingressae fuerint veluti «nuclei politici» iam definiti ac traditione consecrati, tamen, initio saltem et natura ipsa, ex gentibus suas civitatem partitiones sumpsisse;

<sup>3</sup> Cfr. BONFANTE, *Storia del Dir. Rom.*, III, 64.

<sup>4</sup> Cfr. fasc. sup.

<sup>5</sup> Cfr. etiam Cic., *De legibus*, 11, 24; *In Pis.*, 23, 53; *Liv.*, II, 48-49; III, 25; *Suet.*, *Col.*, 35; *Plin.*, VII, 54; XIX, 1-2; XXXIII, 1, 6; XXXIV, 13, 137; *Serv.*, V, 117, 704; *Varro*, I, 1; VIII, 12; *Paul. Diac.*, v. *Gentiles*; *Isid.*, IX, 2, 1; IX, 5, 11, etc.

itaque Gentem veluti gradum proximum esse ad civitatem; sapere tum familiam, tum civitatem; ideoque, succrescente constitutione, civitatis inde, hinc familiae iure Gentem sensim sine sensu evanescere, ut extremo tempore nihil fere ex ea remaneat, praeter nomen et quaedam sacra. Ex quo factum est ut Gentis nomen apud recentiores assumeretur pro civitate, pro populo (ex. gr. *Gens Sueorum* = *Civitas Sueorum*; *Gens Aeduorum* = *Civitas Aeduorum*); et quandoque pro gente, pro populo adhiberetur simplex nomen, ut nomen Latinum, *Romanum*, *Tuscum*, etc.

Itaque familiae componuntur in Gentes; Gentes iam ante civitatem constitutam existere; civitate constituta Gentes fiunt eius elementa; quapropter uti familia, ita Gens est societas publica, seu politica, eaque supraea ante constitutam civitatem, unde, prouti vidimus, eamdem vim utrumque nomen detinuit.

Gens ideo romana id fere est quod apud Germanos *kin* vel *cyn* (*Tacitus vicum* appellat), *thorpe* vel *dhoff*; quod apud Langobardos fuit *fara*, *mark*; apud Celtas *clan*; apud Scotos *highlanders*; apud Iranicos *vic* (*Herodotus γένος* dicit, vel φύλον); id quod apud Indos *grama*, vel *janmana*; apud Slavos *gmind*, *rodu*; apud Rutenos *mir*. Gentes communes fuerunt et aliis Italicis populis: pro Samnitibus vide *Livium XXII*, 1; pro Dasiis et Blasiis in Apulia, cfr. *Roma historiam*, auctore Pais.<sup>6</sup>

Cavendum igitur ne Gens habeatur veluti ordo nondum plene politicus, quasi verus hic ordo habeatur tantum in civitate; Gens enim iam civitas quaedam est, licet rudior et angustior. Et sane, non modo nomina Gens et Civitas serius idem sonant, sed gentem qui ingreditur, uti postea civitatem, is est aut natura ipsa ex patre gentili, aut aggregatione directa in gentem suffragiis gentilium (*cooptatione*), aut familiam iis ingrediens quos diximus modis;

<sup>6</sup> E. PAIS, *Storia di Roma*, pag. 297.

imo vetustiore tempore nemo fuit civis quin gentilis fuerit; civitatem nemo ingreditur nisi per familiam (quod confirmat praevisse civitati familiam); et iisdem modis quibus civitas et gens amittitur, mutatur. Adde, ut familia et civitas, ita et gentem exclusivam esse: qui novam acquirit gentem, eo ipso priorem amittit; ei extraneus fit ut civis qui novam civitatem acquisiverit.

Gentiles fere consanguinei sunt et habentur; eatenus tamen quatenus et sunt et merito consanguinei censentur membra eiusdem politicae societatis, non modo quia ex eodem remoto stipite oriundi omnes Gentiles habentur, sed quia usque ad an. 186 a. Ch. n. nuptiae nullae contrahuntur nisi inter membra eiusdem gentis, quippe tunc *gentis emptio*, quae est facultas contrahendi extra gentem, nondum concedebatur virginibus libertis cuiusdam gentis nisi ut privilegium; quod antea et de virginibus ingenuis dicendum fuisse censeo.

«Nota politica» Gentis ex iis quae sequuntur confirmatur. Habet nempe Gens supremum suum magistratum et caput; is est «Pater gentis» vel «Magister gentis»: pater, id est dominus, ut supra in familia vidimus; magister, id est qui magistratum, qui summam imperii tenet (cfr. *Anglicum mister*);<sup>7</sup> suas Gens subditorum habet classes; suos habet mores, et sua statuta. Ita gens Cornelia adversabatur cadaverum cinerationi; gentis autem Quintiae mulieres aureis monilibus. Itaque habentur «Contiones gentilium», et Gens fert «Leges gentis» aut «Decreta gentis»; tribunalia sunt, quae gentiles iudicent atque puniant «nota gentilicia», suumque territorium, id est «pagus». Et gentis necessitudo nunquam non viget, etiam in extrema republica atque in im-

<sup>7</sup> Ut constat, ineunte Republica, Atta Claudius, quod est «Pater Claudius», universam suam gentem aggregavit urbi.

perio, quum si quis gravi et importabili multa puniretur, gentiles ei succurrerent; item si quis a cognatis, ab agnatis redimi non posset. Gentiles communia habent et animi sensus, et gloriam et insignia; in templis, in sacris, in bello una semper inveniuntur.

Denique Gens cultum sibi proprium habet, gentisque deos: ita est ex. gr. Apollo pro gente Iulia, Sol pro Aurelia, Iuno et Ianus pro Horatia; Minerva pro Nautia; suas aras suaque sacella; stata sacrificia, et anniversaria, et ferias gentilium; auspicia sua, gentis demum sepultra, ad quae gentis religio magnam partem cultusque celebratur.

SILVIUS ROMANI.

## De Thoma Ceva et Stanislao Vydra<sup>1</sup>

Thomas Ceva natus est exente anno MDXLVIII honestā familiā Mediolanensi. Anno MDCLXIII societati Iesu nomen dedit, vota solemnia professus est a. MDCLXXXI. A pueritiā conspicuus erat indole tam versatili, ut ad omnes fere litteras et artes idoneus esset. Praecipue autem poësis et mathesis ei in deliciis erant. Cum aliquot commentationibus mathematicis huius doctrinae facultatem haud contemnendam probasset, admodum iuveni professio rerum mathematicarum et physicarum in universitate Mediolanensi demandata est. Hoc munere fungens imprimis quaestionebus de gravitate et de sectione anguli in quotvis partes aequales laudabiliter dedit operam. Arti poëticas, cuius scientiam iam puer in schola hauserat, obiter indulgens praeter: *Philosophiam novo-antiquam*, quod poëma didacticum minoris est momenti, grande epos bibicum condidit, quod inscribitur: *Iesus puer*. Hoc opere maxime nomen suum immortalitati conse-

<sup>1</sup> Cfr. fasc. sup., pag. 166.

cravit. Constat autem e novem libris et describit vitam parvuli Iesu, antequam vim suam divinam patefecit. Quod ad elocutionem et artem metricam attinet, poëta Vergilium potissimum sibi sumpsit imitandum, et quidem tam solerter, ut vix ulla maculas ei obicere liceat. Exemplum vatis Mantuani secutus, interdum totas dictiones ab eo mutuatur, nec veretur more tum usitato mythologiam antiquam Christiano argumento passim inculcare. Nec vaticinationes ex eventu — ut dicimus — desunt. Quanti hoc poëma aestimandum sit, inde licet colligere, quod identidem typis describebatur et in linguis recentiores vertebatur. Ultima editio ab Pratzio et Broxnero adornata prodiit Dilingae ad Danubium a. MDCCXLII. Multa possum commemo- rare atque ea honorifica de Cevana poësi iudicia a viris doctis pròlata; acquiescam tamen in sententiâ acutissimi critici Germanici Lessing: *Der Jesuit Ceva war ein eben so groszer Mathematiker als Poet und wahrer Poet, nicht blosz Versifikator, wie sein lateinisches Gedicht Puer Jesus in neun Büchern beweist.*<sup>2</sup> Sed his iam finem imponamus! Qui uberior de Ceva doceri cupit, eum ad historiam matheseos et historiam litterarum elegantiorum velim relegatum. — Poëtae longissima vita Divina providentia obtigit: octoginta octo annos natus Mediolani mortem obiit, cum ob doctrinæ subtilitatem atque elegantiam, tum ob morum comitatem a civibus suis et exteris pariter celebratus. Senectus eius caecitate exacerbata erat, quam tamen, cum aliqui corpore et animo valeret et omnia, quae sibi proposuerat, ad effectum deducta videret, aequa mente ferebat.

Italum Cevam in similis fati consortium secutus est Bohemus Stanislaus Vydra. Qui quia extra patriae fines nondum ita innotuit, ut meret, copiosius mihi de eo liceat disserere.

<sup>2</sup> Cf. editionis modo laudatae pag. 14.

Lucem asperxit a. MDCCXLII Regiae Graecii, quod est haud parvum oppidum Bohemiae inter septentriones et orientem solem spectantis, ibique litterarum rudimentis initiatus est. A. MDCCCLVII societati Iesu et ipse adscriptus, eius auspiciis studiis vacare perrexit in Moravia Brunae, in Bohemia Klattoviae et Pragae. In universitate Pragensi ingenii acumine animum ad se convertit Steplingi, insignis professoris mathematicae, physicae, astronomiae, qui iuvenem omnium artium capacem ad suas potissimum disciplinas pertraxit. Anno MDCCCLXIX sacerdos inaugurus biennium ruri degebat curis animarum occupatus. A. MDCCCLXXII Steplingi maxime auctoritate Pragam revocatus, professoris dignitatem in universitate obtinuit. Hanc obiens provinciam aliquot scriptis locupletioribus inclaruit velut: *Primae calculi differentialis et integralis notiones, De sectionibus conicis, Historia matheseos in Bohemiâ et Moraviâ cultae, Sätze aus der Mechanik.* Societate Iesu a. MDCCCLXXXIII sublata, saecularis sacerdotis vices suscepit, quibus praincipue ita satisfecit, ut sacras contiones coram civibus academicis Latine, Bohemicis coram aliis civitatis Pragensis ordinibus saepius haberet.

Disciplinam suam in universitate studiosis usque ad a. MDCCCLXXXIV Latine trahebat; hoc autem anno Germanica lingua uti iussus est. Regimen enim Vindobonense, ut Austria civitatis mere Germanicae speciem paulatim indueret, non solum linguas minorum gentium ibi habitantium suppressibat, verum etiam academicum usum sermonis Latini, antiquitate sanctum, intra arctiores terminos coercebatur. Invitus paruit Vydra novo pracepto: nempe durius lingua Germanica utebatur. Summo autem studio, cum Bohemus natus esset, vernacula Bohemorum linguam prosequebatur, quae tum plerumque neglecta iacebat. Exclusa enim ex usu forensi nec minus e scholis superioribus et

in contemptum vocata a civibus urbanis elegantiae studiosis, vix adhuc vivebat in ore rusticorum. Eam in pristina iura restituere et idoneam reddere, quae etiam disciplinis subtilioribus tractandis inserviret, cum aliquot aliis patriae amantibus Bohemis vehementer cupiebat. Quod quo facilius assequeretur, ipse altioremathematicam, apta vocabula artis condendo, in usum popularium litteris Bohemicis colere coepit. Et quo ardore linguam, eo etiam historiam patriam amplexus est, ut multum conferret ad patriae amorem in studiosis Bohemis excitandum.

Cum propter morum innocentiam ab omnibus magni aestimatus sic bonis artibus operaretur, quartum supra quinquaginta aetatis annum ingressus, oculorum morbo subito laborare coepit. Qui quamquam a peritissimo tunc medico Pragensi curabatur, tamen omnia remedia eludebat et ita ingravescebat, ut laevi oculi lumen extingueretur et dextri valde debilitaretur. At vir hoc infortunio conflictatus nihilominus omnibus officiis incumbere pergebat, dum calamitas, quam amici eius iam dudum cum dolore providebant, ei improviso supervenit. Erat dies vigesima secunda mensis Ianuarii a. MDCCCIII. Vydra coram auditoribus solito ardore formas geometricas in tabula pingebat et clara voce explicabat, cum subito manus dextra in aëre et orationis flumen in faucibus haesit: quippe dextro oculo repente caligo oborta est. Ita caecus factus magister domum a discipulis casum eius dolentibus deductus est. Ab eo tempore aeternis tenebris damnatus et a permultis negotiis, quae — dum vita suppeteret — perfecturus erat, prorsus avocatus, vitam miserrimam agebat. Accedebat, ut arteriosclerosi aurium membranas affectante in dies magis surdaster fieret neque intellegerer loquentem, nisi quis prope staret et distincta voce singulas syllabas proferret. Solitis operibus inhabilis, tamen non sectatus est otium. Di-

scipulis commentationes mathematicas lingua vernacula dictabat et ubi hoc labore defatigatus erat, epigrammata Latina condebatur. Quae ab auditoribus calamo excepta postea in lucem data sunt: prolegomena illis praeflenda ipse dictavit. Haec epigrammata — octoginta octo numerantur — non ita excellunt materiae varietate et facetiarum salibus, at arrident lectoribus nativa sinceritate, lepido sermone, venusta versuum structura. Ut consentaneum est auctoris fatis et moribus, exclusum est genus amatorium; item absunt mordaces impetus in aequalium perversitates, si pauca epigrammata excipis, quibus artis mathematicae osores et mutuae Germanorum ac Bohemorum cavillationes iocose illuduntur. Maximam partem queritur poëta de caecitate sua et implorat Dei sanctorumque auxilium, aut deprecatur in dies magis grassantem sui saeculi impietatem.

Ex speciminibus, quae huic scriptiunculae adnecto, appareat auctorem bene versatum fuisse in versibus componendis. Inde facile concire licet eum artem poëticam iam puerum in schola didicisse et in ulteriore vita occasione data tractavisse. Alioqui minime aptus fuisse in senectute talibus versibus memoriter sine ulla scriptura conficiendis. Quae vero antea finxit carmina, typis non mandavit. Immo epigrammata ipsa paucis expressa fuerunt exemplaribus, ut nunc aegre e bibliothecarum latebris eruantur.

Hac ratione fallebat Vydra tempus diurnum. Peior autem erat condicio insomnium noctium. Iuvenis theologus, qui aegroto invigilabat, identidem eum audiebat modo preces divinas, modo Horati carmina e memoria suppressa voce recitantem. Sexagesimum quartum annum agens apoplexia fractus die IV mens. Decembris MDCCCV, benigna morte aerumnosae vitae eruptus et omnibus bonis, qui eum norant, tam Bohemis quam Germanis lugentibus sepultus est.

Quantopere gauderet, si in vitam revo-  
catus hodiernum rerum statum videret!  
Sui iuris est Bohemorum gens eorumque  
lingua vernacula in usu forensi primas  
partes agit. Eadem adeo ditata et limata  
est, ut etiam abditarum et reconditarum  
disciplinarum spinis enodandis par sit.  
Quid? quod tot gignit quotannis opera, cum  
prosaica tum poëtica, ut cum cultissimis  
linguis Europaeis paene contendere possit.  
Haec si Vydra videret, non frustra fuisse  
suam operam iure gestiret.

Est autem ea sors rerum humanarum,  
ut viri de patria aut litteris et artibus vel  
optime meriti post mortem in oblivionem  
incident. Huic fato et ipse Vydra obnoxius  
fuisset, nisi solertissimus inter nostrates  
scriptor fabularum Romanicarum Aloisius  
Jirásek (MDCCCL-MCMXXIX) eius memo-  
riam ab interitu vindicasset. Etenim hic in  
venustissimo opere J. L. Vék<sup>3</sup> «cordato  
Bohemo» — ita ipse Vydrum iterum atque  
iterum Latine appellat — monumentum  
posuit aere perennius. Ita cavit, ut vir in-  
genius domi in mentibus gratae posteri-  
tatis vel mortuus ultra viveret. Quodsi hac  
scriptiuncula effecero, ut etiam apud exte-  
ros innotescat, fructum opellae meae me  
tulisse uberrimum arbitrabor.

FR. PALATA, Moravus.

#### APPENDIX

##### *Aliquot epigrammata St. Vydra*

1. *Nox inimica homini, sed cui?* Concedo:  
[videnti.]

*Sis caecus: misero fiet amica tibi.*  
*Nox mihi sola placet, quae me tristem om-*  
[nibus aequat,  
*in somno videor multa videre mihi.*

2. *Quare tam paucis grata est divina Mathesis?*  
*Paucis vera placent, ludicra vulgus amat.*

3. *Mi Deus, in cunctis fiat Tua sancta voluntas!*  
*Te laudabo videns, lumine amabo carens.*

<sup>3</sup> Proprie Hek, discipulus quondam Vydrae, postea mercator rusticus ob propagandum sermonem Bohemicum memorabilis.

4. *Innumeris Christum persuasit Xavier Indis,*  
nunc velit Hunc notum civibus esse suis!
5. *Protulit in mundum mater Te, Otilia, cae-*  
[cam,  
*cernere coepisti lota salutis aquis.*  
*Me velit omnipotens Pater — ora! — luce*  
[beare,  
*quam me iam docuit noscere prima dies.*
6. *Est hodierna dies lapsi memorabilis anni,*  
atrox discipulos quae rapere ausa mihi.  
*Nempe mathematicas nequii formare figu-*  
[ras  
*inque meis oculis quilibet umbra fuit.*  
*Hinc iubeor caecus doctoris linquere munus*  
iamque alius pro me gnawiter illud obit.  
*Da Deus, ut faciat tenebris lux crastina*  
[finem:  
*possim desertas rursus adire scholas!*
7. *Vinum convivis dixisti, Virgo, deesse:*  
substituit vinum nobile natus aquae!  
*Visum dic nato misero mihi, Virgo, deesse!*  
Substituet tenebris lumen et ipse meis.
8. *Scribere quam coepi, nunc caecus dicto Ma-*  
[thesim,  
*te recreare nova luce, Boheme, volens.*
9. *Asperius nihil est humili, cum surgit in al-*  
[tum,  
*sic passim fieri plurima facta docent.*  
*Nempe gravi rapitur vertigine, quisquis in*  
[altum  
*ascendit subito, degere suetus humi.*
10. *Centum oculos pastor nocte una perdidit*  
[Argus:  
*perdere num mirum me potuisse duos?*
11. *Herodes natum cupiens occidere Iesum,*  
tradidit infantum milia multa neci,  
nec parcens proprio crudelis bestia nato.  
*Sed frustra: Aegyptus praestitit incolu-*  
[mem.  
*Insontem pueri pro Illo fidere cruorem,*  
insons pro nobis qui moriturus erat.
12. *Qui voluit Iesu præstans audire sodalis,*  
debebat sanctus, doctus et esse sagax.  
*Namque Deo sanctus placet. Ornat doctus*  
[amicos  
*artibus. Eludit tela inimica sagax.*
13. *Hora, dies, mensis, sat longus labitur an-*  
[nus.  
*Quid remanet? Tantum quod bene fecit*  
[homo.

14. *Huius hiems anni cur nullo frigore torpet?*  
In nostris frigus cordibus omne latet.  
Relligio nulla est, caelos et Tartara rident  
iam pueri, nemo fratris amore calet.
15. *Nonne Mathematici passim gens capta ce-*  
[rebro  
dicimus? Et plebs, quod dicitur, esse pu-  
[tat.  
Dicimus: ast ab iis, qui vivunt absque ce-  
[rebro  
et ridere solent, discere quod nequeunt.

#### DE LATINI SERMONIS NOTIS SINGULARIBUS<sup>1</sup>

##### De sede propositionis infinitivae

a) In universum propositio infinitiva in  
fronte sententiae legitur.

EXEMPLA: Pompeios, celebrem Campaniae urbem, desedisse terrae motu auditivimus (SEN.) — Multo rem turpiorem fore et iniquiorem visum iri intelligebant (CIC.) — Te afuisse tamdiu a nobis dolui (CIC.) — Sapientem civem me et esse et numerari volo (CIC.) — Legem brevem esse oportet (SEN.) — M. Antonium omnis eruditio expertem atque ignarum fuisse magna fuit opinio (CIC.) — Metiri se quemque suo modulo ac pede, verum est (HOR., Ep., I, 1) — Te iturum esse trans mare credere non possum (CIC.) — Plebem et servitia pro Vitellio armari nuntiabatur (TAC.) — Rem te bene gessisse rumor erat (CIC.) — Nullam mihi abs te relatam esse gratiam, tu es optimus testis (CIC.) — Victorem parcere victis aequum est — Vota in proximum lustrum suscipi mos est (SUET., Aug., 97).

b) Attamen propositio infinitiva non raro  
postponitur, scilicet cum pendet a pronome,  
adverbio, nomine substantivo aut  
dictione composita.

EXEMPLA: Utrumque laetor: et sine do-

<sup>1</sup> Cfr. fasc. sup.

lore corporis te fuisse et animo valuisse  
(CIC.) — Illud adscribam, quod est ve-  
rissimum: me adhuc de isto periculo nihil  
audisse (CIC.) — Sic mihi persuasi, sic  
sentio: animum nostrum non posse esse  
mortalem (CIC.) — Quam turpe est legio-  
nes ad senatum legatos mittere! (CIC.) —  
Certum est Regulum esse facturum quid-  
quid fieri non oportet (P. I) — Necesse  
est lancem ponderibus impositis deprimi  
(CIC.) — Fama exierat Artaxerxem com-  
parare classem et exercitum (CORN. NEP.) —  
Caesar in eam spem venerat se sine  
pugna et sine vulnere suorum rem confi-  
cere posse (CAES.) — Rumores ad Cae-  
sarem afferebantur omnes Belgas contra  
populum Romanum, coniurare (CAES.) —  
Aranti Cincinnato nuntiatum est eum di-  
ctatorem esse factum (CIC.) — Verum est  
amicitiam nisi inter bonos fieri non posse  
(CIC.) — Tempus est nos de illa per-  
petua iam, non de hac exigua vita cogi-  
tare (CIC., Att., X, 8.) — Fama est Hanni-  
balem iurasse se hostem fore populo Ro-  
mano (TIT. LIV.) — Multa verba fecisti  
te, quum res videres, rationem causamque  
non quaerere (CIC.) — Confirmatur opinio  
barbaris nullum esse in castello praesi-  
dium (CAES.) — Mentio erat facta me  
audisse (CIC.) — Nuntius fuit ex Hispania  
tristis: sex milia de exercitu Romano ce-  
cidisse (TIT. LIV.) — Utile est reipublicae  
nobiles homines esse dignos maioribus suis  
(CIC.) — Credibile est hominum causa  
factum esse mundum (CIC.) — Certum  
est nos in caelo quieturos esse (CIC.) —  
Aequius autem erat id voluntate fieri  
(CIC.) — Res mali exempli est: impera-  
tores legi ab exercitibus (TIT. LIV.) — Est  
mihi animus hodiernum diem initium li-  
bertatis Britanniae fore (TAC.) — Deo gra-  
tum est omnibus patere ad se placandum  
et colendum viam (CIC.) — Mihi sum con-  
scius me, quoad licuerit, dignitati reipubli-  
cae consuluisse (CIC.) — Natura hoc unum  
iubet: sitim extingui. Utrum sit poculum



aureum an manus concava, nihil refert (SEN.) — *Turpe videbatur* in eam urbem me audere reverti, ex qua Brutus caderet (CIC.) — Litteris Labieni Caesar certior fiebat omnes Belgas contra populum Romanum coniurare (CAES.) — *Credibile est* hominum causa factum esse mundum (CIC.) — *Hanc video sapientissimorum fuisse sententiam: legem non hominum ingenii excogitatam esse* (CIC.) — *Fides erat* rem successuram esse (SEN.) — *Verum est* M. Catonis *oraculum*: nihil agendo homines male agere discere (CIC.) — *Necessitate est* qui fortis sit, eumdem esse magni animi (CIC., *Tuscul.*, III, 7).

c) Propositio infinitiva aliis praeterea modis construi potest variisque in sententia sedem obtinere. Non seiunctim a primaria consideratur.

**EXEMPLA:** Milites se esse legionarios dicunt (CAES.) — Ennius esse deos censem (CIC.) — Ego ne utilem quidem arbitror esse nobis futurarum rerum scientiam (CIC.) — Caesar pontem qui erat ad Genavam iubet rescindi (CAES.) — Sylla se cremari post mortem voluit (SEN.) — Iulius Caesar appellationem mensis e suo nomine decerni passus est (SUET.) — Estne quisquam tanto inflatus errore, ut sibi se illa scire persuaserit? — Lucilius dicebat ea quae scriberet non ab indoctissimis se legi velle (CIC.).

#### De sede propositionis coniunctivae

Propositiones coniunctivae propositioni primariae postponuntur.

**EXEMPLA:** Galli statuunt ut decem milia hominum in oppidum mittant (CAES.) — Metuo ne artificium tuum tibi parum prosit (CIC.) — Da operam ut hunc tallem, tam iucundum, tam excellentem virum, quam primum videoas (CAES.) — Caesar milites cohortatus est uti suae pristinae virtutis memoriam retinerent, ne perturbarentur animo (CAES.) — Non vereor ne tua virtus opinioni non respondeat (CIC.) — Non recusabo quominus omnes mea scripta legant (CIC.) — Non recuso quin me audiatis (CIC.) — Facere non

renn., I, 9) — Xerxes se a Themistocle non superatum, sed conservatum esse iudicavit (CORN. NEP., *Them.*, 5) — Ego me effudisse omne odium arbitrabar (CIC., *Fam.*, I, 9) — Carnutes se principes ex omnibus bellum facturos pollicentur (CAES.) — Brutus sceleratum atque impium regnare patietur Antonium? (CIC.) — Rem opinor spectari oportere, non verba (CIC.) — Ego me confido liberum fore (PLAUT.) — Sese quisque praeda locupletem fore sperabat (SALL., *Iug.*, 86) — Graecarum litterarum constat Catonem perstudiosum fuisse in senectute (CIC.) — Errant qui in prosperis rebus omnes impetus fortunae se putant fugisse (CIC.) — Tametsi me fateor usurum quibusdam quae philosophorum libris continentur, tamen ea iure vereque contenderim proprie ad artem oratoriam pertinere (QUINT.) — Caesar pontem qui erat ad Genavam iubet rescindi (CAES.) — Sylla se cremari post mortem voluit (SEN.) — Iulius Caesar appellationem mensis e suo nomine decerni passus est (SUET.) — Estne quisquam tanto inflatus errore, ut sibi se illa scire persuaserit? — Lucilius dicebat ea quae scriberet non ab indoctissimis se legi velle (CIC.).

potui quin tibi et sententiam et voluntatem declararem meam (CIC.) — Bene mihi evenit quod mitter ad mortem (CIC.) — Magnum est beneficium naturae quod necesse est mori (SEN.) — Cavendum est ne maior poena quam culpa sit (CIC.) — Vereor committere ut non bene provisa et diligenter explorata principia ponantur (CIC.) — Maximum vitae vitium est, quod imperfecta semper est (SEN.) — Opto ut moriens populum Romanum liberum relinquam (CIC.) — Contra voluntatem meam accedit ut mihi cum imperio in provinciam profici sci necesse esset (CIC.) — Deliberantibus Atheniensibus Pythia respondit ut moenibus lignis se munirent (CORN. NEP.) — Vereor ne non fortunae tuae sufficere possis (QUINT. CURT.) — Habebo curae ut te meliorem tibi reddam quam accepi (SEN.).

I. JSS.

## EPIPHANIA DOMINI

IN ARTIBUS OPTIMIS ET MORIBUS POPULORUM

Solemnis hic dies, magnus quasi prae ceteris apud agricolas Christianos in pagis habetur, aliquid ipse etiam, veluti sibi proprium et illustre, vindicat, sicuti intulit olim et infert adhuc, Natalitiis additus festis digna conclusio, et fere compendium. Praetereundum in Commentario nostro, cui optimarum artium cultus inest, utrumque non remur, illud quia nostrum est, hoc autem quia lectores iuvat scire quo gentes nostra modo sentirent, et sentiant. Duplex inde rerum expositio.

Atque, ad agricolas quod attinet, magna in vicis religione colitur dies, tum quia primum Pascha notat ab anni exordio, tum quia triplici recordatione insignis traditur, Orientalium nempe adventu ad praesepem Regum, miraculo aquae in vinum conversae, denique baptismate Christi in quo Trinitatis Augustae nomina manifestata

sunt coram populo; nam et Pater Filium appellat, et sub columbae specie Spiritus Sanctus appetit. Hinc rusticis persuasio inest, et cantiacula fertur agresti, qua dicitur Picus hoc die a silva non procedere in campos, ut quiete summa honoret diem. Quinimo est mos donandi populares pueros, quidni?, etiam adolescentes et iuvenes, qui post vesperas ostiatim circumveunt; dona vero dicuntur «vetera»; constantque castaneis, malis, pyris, et caricis, nempe siccatis aestivo sole fics ac persicis: dantur et nuces, dantur et mespila, et sorba. Sunt et coloni ditiores qui nonnullis, quos elegerint familiaritate forsan cariores, dant isicia bina, vel apexabone, convoluta multis chartis, triplici filo, vel funiculo circumvoluta, idque credo ne curiosi ante tempus aperiant, ponuntque in panario, vel pera, quam circumveentes ferunt. Initiciiae porro signum esset, si, qui solent, non adirent.

Atque hic pulcherrimus iocus fit: nam, pro isiciis, vel apexabone, vel lucanicis, vel fartis, interdum chartis vel carbonis, vel ramusculi, resecti ad modum doni, frustula subsunt, quae omnia (quum fas non sit inquirere nec in via, nec alibi, sed tantummodo domo in propria, ubi, caenam ex comparatis facturi opiparam, coram parentibus et amicis singula, quae acceperint, ostendunt e sacculo) non mediocrem risus causam provocant in convenientibus. Incertum quis praebuerit; at certus risus videntium, certaque, etsi levis, indignatio ludificati; cui, et hoc in ritu est, non licet aliis verbis de sorte sua, donoque dato queri, nisi sacramentalibus verbis iis «semel», vel «bis» vel «ter factus sum Herodes».

Verum summo mane paterfamilias unctionem domo aufert, in quo aliquid vini et aquae miscuerit, campumque et vineam petit, ramusculum olivae virentis bacchae manu gerens et cura summa custodiens ne frontes, ne bacchae delabantur

antequam accesserit. Ubi in agrum, in vineam pervenerit, illa vini et aquae aspergine rorat locum, denique ramum ipsum sub solo recondit, urceum frangit. Felix si, dum haec munia obit, antelucanarum ad aures obvenerit sonitus campanarum! Prospera sibi omnia pollicebitur. Vae tamen pecori, agro, et familiae, et homini, si talia facienti, si eunti, si redeunti odium in quemquam fuerit, vel aluerit, vel foverit, vel non deposuerit; si profana quaeque animo non abiecerit, si, dum reddit, in obvium inimicum incidens, hunc ad matutinam sorbitiunculam non invitaverit, dexteram non porrexerit offerenti, si advocanti ut domum adeat, non audierit commis, et morem amicorum non gesserit! Haec omnia rusticam innocentiam et simplicitatem alunt; attamen quam opportuna vitae, quam bella mihi videntur!

Sunt et alibi, ut in oppido Siciliae Lilyboeo, solemniores usus, quos tum brevitatis causa omittendos censeo, tum quia campestrem illam non referunt simplicitatem. At quoniam nomen urbis fecimus, dicemus illic, traditum scriptis monumentis, fuisse morem benedicendi in Ecclesia Sancti Ioannis, solemni ritu et coram populo, cruci, quae postea ferebatur ad mare, et submergebatur in pelago. Huius autem ritus recordatio legitur anno MDL; quinimo et plerisque in maritimis Italiae inferioris servatur hic usus, atque in caeremoniali Graeco describitur. Num ista sint ad memoriam corporis Christi contingentis aquas Iordanis, vel ad expellendos a mari aestuoso daemones procellarum excitatores, ipse non dicam; unusquisque sequatur sententiam, quae optima videatur.

At venio nunc ad ea, quae Paschatis huius solemnissimae dies in mores sacros, et in artes Christianas invexit. Celeberrima in catacumbis Romanis habetur imago illa Deiparae Virginis natum tenentis, quem Magi adorant, dum Balaam propheta (minime Esaias), indicat stellam in caelo de-

pictam; illius enim sunt verba in Biblicis. « Orientur stella ex Iacob, et consurget virga de Israel ». <sup>1</sup> Res autem a pictura ad sculturam redacta est, postquam, Francisco illo asisinate sanctissimo facente, mos condendi praesepia invaluit, in quibus mysteria Nativitatis Dominicæ simulacris exhiberentur. Iamque illic et Bethleem, et pastores ad turrim gregis dormitantes, et angeli pacis et gloriae nuncii, et venientes undequaque cum munusculis ad natum Dominum, et crypta, ubi Virgo et Ioseph adorant « Verbum caro factum », invisentium oculos delectaverunt, qua in crypta « cognovit asinus possessorem suum, et bos praesepe Domini sui ». At, Epiphania veniente, res ab apparatu illo rustico et humili ad regios mores et aureum apparatum translata est; quippe adsunt reges in paludamentis aureis, corona gemmata insignes, magno equorum, camelorum, puerorumque comitatu, apertis thesauris suis aurum, thus, et myrrham offerentes proni. Idem Deus pastorum et regum, idem Dominus divitum ac pauperum. Nonne et quaedam repraesentatio est Ecclesiae nuper humilis et postea triumphantis? Atqui perspexit hoc mens provida Sandri illius Botticellii, pictoris clarissimi, effinxitque in illa admirabili tabula, quae nunc in pinacotheca Londinensi asservatur, in qua dum superius angelii exsultant canentes hymnum « Gloria in excelsis Deo », coram nato Deo, quasi humilitati eius morem gerentes, qui « exinanivit semetipsum formam servi accipiens, et habitu inventus est homo », non horrent, immo festinant fraternalis cum pastoribus miscere amplexus.

At quae saecula a catacumbis ad ista Botticellii fluxere, plurima de Epiphaniae solemnitate invexerunt, marmore, aere, coloribus insignita. Huiusmodi sunt quae sculpta admiramus in urbe Ianua, in via cui ab aurificibus nomen, eademque et illa, quae in ebore caelantur, eademque

<sup>1</sup> Numer., cap. XXIV, v. 17.

sunt ea quae minio affabre designata paginas ornant choralium librorum, qui vivendi sunt in museo Palatii Bianco, tum quae in gemmis, quae in argento, quae in auro. Ubique eadem redeunt: tres nempe reges adeuntes casam Bethleemiticam, et infantulo Iesu dona offerentes. Haec omnia, aut fere omnia, simplicitate illa mirabilis ante et circa decimum saeculum. Mox Nicolaus Giunta pisano, in suggesto baptisterii natalis urbis anaglyptica marmora sculpens, quibus Epiphaniae mysterium de vocatione gentium ostendebat in regibus ab Oriente stella praelucente accitis, vel inscio rerum indicat quantus iam sit progressus artis, quippe quia connubium iam incipit, quo poësis, musaeque artium optimarum totae incumbant in singulas Christi aetas, in annos, in gesta, et quasi triumphali incessu per orbem terrarum, hunc gloria Christi complebunt. Quo factum est ut in his, quae Giottus, quae Cimabue pinxerunt in asisiensi basilica suprema, adoratio regum ad Bethleem iam quatiat præ ceteris alas, et aliiquid superexcelsus polliceatur. Hoc autem, quasi angelico instinctu, quasi angelico afflante halitu, manuque angelica regente digitos, ille efficit pictor, cui nomen Angelicus a Faesulis, in quo, siquid delicatissimum, siquid piissimum vel manu exprimi, vel mente concipi possit, ex integrō fuit, Christianae religionis quum ille heroas, angelos, et vel divina colore tractabat.

*Tempora mutantur, nos et mutamur in illis.*

Ars vero perficitur, si in virum incidat, cuius indoles non senescat, non hebescat. Itaque Philippus Lippi, artem quum ad altiora et uberrima raperet, regum adorationem ad praesepem Domini magnificens, nec quid defuit, quod loci gaudium, laetitiam gentium, divitiarum splendorem posset quovis modo significare. Cui indoli obtemperans Ghirlandaio in ta-

bula, quae videnda est in pinacotheca Florentina, amplissima et magnifica pertulit, at super omnia illud protulit, quo et reges et viri, et pueri et feminae illis utantur vestibus, quibus tunc temporis, nempe saeculo XIV, utebantur.

Illo ex tempore quasi quaedam aemulatio optimos quosque excitavit artifices, qui illud fere supremum artis suea specimen arbitrati sunt, si reges adorantes Domum possent ostendere. Nec minus recte; quippe una in tabula magnificentia regum et praesepii paupertas, ditissimae vestes et nuditas adstantium pauperum squallorque camporum hiemalium, maiestas in puerula, humilitas in regibus felici quidem, at antithesi difficultima, copulantur. Qua quidem in re non negamus toties percelli quoties ad S. Andreae de Valle in Urbe accedimus; nam octavario post Epiphaniam illic mirabilibus simulacris, et quasi scaena composita, manifestatio illa Divini Infanti coram Magis, qui ab Oriente venerant, redditur, olim omnia Vincentio Pallotti, sanctissimo viro, suadente romano Principi eidemque munificentissimo Alessandro Torlonia.

Numne alia videnda haud manent, artibus in perfectionem absolutam illatis? Unum dicam: Quanta est Christiana religio, tota poësis est; poësis autem « est elevatio mentis »; adde religionis effluvium, et habebis « ad Deum ». Nec aliter Augustinus ille de prece iudicabat. Ars igitur tantum valet, quantum elevatur; si autem elevetur ad Deum, tunc apicem attingit, atque ipsa cum prece confunditur.

SENIOR.

*Spei certitudine futura tamquam iam facta cognoscimus.*

S. AUGUSTINUS.

*Nec laetabitur unquam, nec moerebit nimis, qui semper in seipso omnem spem reponit sui.*

CICERO, Tuscul.

## FESTA NATALITIA IN PAGO

## IDYLLIUM

BATTUS et CLEODAMUS

- B. *Salve, mi Cleodame.*
- C. *Et tu, dulcissime Batte,  
Salve.*
- B. *Nempe tuus nimium, Cleodame, renidet  
Iste mihi cultus: nitida de pelle galerus;  
Auratis belle scutulis distincta lacerna;  
Fascia praecingit pectus; tum fibula mordet  
Ad teretem suram curtas argentea braccas.  
Hem comptus e summo vertice ad imos  
Mi totus fulges.*
- C. *Quid mirum, Batte? diebus  
Rite decet festis festivus cultus.*
- B. *At istos  
Cui tandem gallos?*
- C. *Uncto bene siccus: in annos  
Quosque sibi merito nimirum munera poscit  
Curio, divini Pueri sollemniter ortus  
Et festas nobis luces referente decembri.*
- B. *Tune adeo matutinus, cum lumine nondum  
Exoriens fulgenti aurora fugaverit umbras?*
- C. *Sic certe, siquidem Puero sollemnia pagus  
Nascenti celebrat: domitum excussere so-*  
*[pore]*  
*Pulsata e turri festis tinnitibus aera,  
Et tonitrus similes ignito pulvere bombi.*
- B. *Ista quidem praeter morem: nam certe ego*  
*[novi,*  
*Luce hac in pago vix tintinnabula vestro  
Audita, ut sacris adstante rite coloni.*
- C. *Vera isthaec narras: sed nulla denique pompa  
Tam sanctos, o Batte, dies agitare pudebat.  
Aedi igitur sacrae decus auctum; limina odora  
Frondes halant, ornantque fores pendentia*  
*[serta.*  
*Verum, si credis, cultu meliore renidet  
Interior paries: nam fulvae e fornice vittae  
Demittunt sese, et lentum sinuantur in ar-*  
*[cum.*  
*Quid dicam, pulcro ornatu quam fulgeat ara,  
Cerea ubi effigies recubantis molle Puelli  
Visitur, et circum fax plurima luce coru-*  
*[scat?*
- B. *Anne suo tantos sumptus curaverit aere  
Curio non largus?*

- C. *Nimirum symbola cuique  
Collata est misero agricolae. Solleme pa-*  
*[ratur*  
*Quin etiam sacrum, nec tibia rustica deerit,  
Quae nostrum odeo cantum comitetur ab*  
*[alto.*  
*Iam propero ne serus eam. Vin' tu quoque*  
*[mecum*  
*Ire?*
- B. *Libens equidem vellem, Cleodame; sed*  
*[urget*  
*Me me sollicitum non parvi cura negoti,  
Conficiam ut nummorum aliquid. Ratiuncula*  
*[restat*  
*Myrsonei mecum solvenda, et se fore dixit  
Extremus cum certa daret sibi lucra decem-*  
*[ber.*  
*Hac si spe frauder, vacuus male sacculus*  
*[aeris*  
*Me coget festis ieunia ferre diebus.*
- C. *Mecum hodie prandere potes: nam laetior*  
*[olla*  
*Apposita est igni, summo flagrante camino,  
Quam facilis credam satis esse utrisque.*
- B. *Benigne:  
Attamen et nati et coniux irata dolerent.  
Ergo vale: dius te sospitet usque Puellus.*
- C. *Ille etiam optatos tibi det corraderem nummos.*
- HENRICUS NOZZI.

## COMMUNIAE VITAE

## Ludi veteres et recentiores

Singularum gentium indolem, conditio-  
nen humanitatis et cultus, religionis etiam  
ritus et mores gentium ludi redolent; cae-  
lum caelique temperiem; regionum solique  
conditions, vices, casus, historiam. Inde  
de ludis agenti immane pondus et opus  
immane. Nos summis labiis rem deliba-  
mus.

Ludorum nomen a Lydia gente in Ita-  
liam veniente, et Etruscis, ut ait Vergilius,  
insidente iugis, fertur illatum, quibus et  
sollemnes dies et fausta reipublicae cele-  
brarentur. Ludi igitur sacrum aliud pu-  
blicumque sonabant. Mox a publicis ad

privatas ferias, a privatis feriis ad otia  
quaevis hominum, et ad recreationem ani-  
mi quamlibet deuentum est.

Sed de publicis non hic sermo: privata  
potius quaerimus, atque ideo « nauma-  
chias », « amphitheatra », « gladiatoria »,  
« equiria », « Troiae ludos », « cestum »,  
« hippodromos », et quae Homerus, Ver-  
gilius, ac Statius edocent, amovemus, in  
illa incumbentes ludorum genera, quae pa-  
cifice inter se, nullo apparatu publico so-  
lent homines agere, sive constituuntur  
praemia ex asse, sive ex vino victoribus.  
Haec autem, frequentiora prout sunt et  
fuerunt, habentur: « pila », sive brachiali  
committenda aeri, in sphaeromachia, sive  
solo volvenda, tum immissa longius, tum  
rectius in metam adacta, sive « ligneis »  
multiplex interdum « sphaeris », « harpa-  
stum », « trochus »: hi autem ludi liberum  
aequor sibi vindicant, liberum caelum, et  
plerumque faventes decertantibus turmas,  
quos ideo ludos semipublicos dixerim.

Sed ludi sunt, quibus utimur vel domi,  
vel hospitales inter parietes; sunt qui in  
cauponis exercentur et in officinis, tum in  
angulis platearum, tum ubique passim, qui-  
bus nomina mille: « scrupi in diagrammi-  
smo », « ludus lapillorum », « tesserae  
agitatae, magna parantes lucra fritillo ».  
Est « ludus myndae », est « pupae », est  
« basilindae », est « lusoriarum charta-  
rum », est « caput et navis », est « aphendi-  
tiae » est « tropae »; sunt et huiusmodi  
innumera.

Reliquis abdicatis, illud hic ludi genus  
exponam, quod apud nos Italos *mora*, et  
*morra* nuncupatur; « micationem digitorum » apud Ciceronem credo appellatum  
ludi genus. Quidquid autem fuerit, certe  
rusticis nostris, immo plebeis omnibus  
nullus ita in deliciis iocus unquam, nullus  
frequentior ubique locorum et gentium.  
Iucundum autem et frequentem puto, non  
quia sit in endo eo quod delectet, sed quia  
nullus iocorum facturis hoc promptior. Suf-

ficit quippe habere manu digitis arma-  
tam, oculos idoneos et vocem sonantem.  
Qua in declamatione et enuntiatione digi-  
torum, ita fervent, ut inter plura metra  
probe audiantur. Summa autem ludi huius  
haec est. Duo, quatuor, sex, et ultra si  
voluerint, semper autem numero pares,  
frequentius quatuor, facie ad faciem ho-  
mines disponuntur; condicunt inter se pun-  
cta, quae citius qui duo confecerint, vi-  
ctores exsistant; punctum autem habebit  
ille qui porrigeretur numerorum, sum-  
mamque digitorum voce praesagierit, dum  
clausae manus ab alto ruunt improvisae  
digitos extensurae. Quo fit ut saepe per  
plures utrius numeros vagentur incassum,  
atque ideo acrius instent, clamoremque al-  
tius tollant; unde necessum sit guttura vino  
reficere, magno cum gaudio et lucro cau-  
ponis, et quaestu magno adstantium; nam  
turpe est ludentibus adstantibus siccos re-  
linquere.

Praelium huiusmodi suos habet Achilles,  
contra quos inutilis decertatio; nam  
sive oculus iuvat, sive adversarii in eos-  
dem digitos recurrentem saepe dextram  
animadvertisunt, ita digitos suos porrigerendis  
accommodant, ut adamussim numerum  
nuncupent. Ubi autem quinque puncta ob-  
tinuerunt, plaudunt sibi palmis, eundem  
instauratur plausum ubi alia quinque adi-  
piscantur; et ita procedunt isque ad duo-  
decim, vel sexdecim, iuxta conductum.  
Tum, qui minores fuere, a victoribus po-  
stulant, ut eodem praemio certamen redin-  
tegretur, quod semper fit tum urbanitate,  
tum ne victi victores pusillanimatis accus-  
ent, quasi fortuna non virtute vicissent.  
At quid virtutis in hac sit re satis aperte  
non video. Inde vero plausumque accidit  
ut ludus protrahatur in horas, et ebrii in  
rixas et vulnera plerumque desinant. Lu-  
dus hic raro pecuniam sibi proponit, fere  
nunquam; vinum semper inter ludentes et  
adstantes bibendum. Ego, siquid est in me,  
quod decernere possit de nomine, ludum

hunc potius «praedictionem», vel «divinationem digitorum» appellem, quam micationem. Trahat sua quemque.... sententia.

At huic similis ludus — hic autem praeceps et pecunia proposita saepe infamis — est ille, quem Horatius noster «par impar» nominabat. Nam digitorum divinatio aliquid interserit *mora* (num inde nomen?); saepe enim frustra ruunt manus, porriguntur digiti, clamnat quisque suum numerum, dum ioco dat operam. In ludo «par impar», quoties miciuere promissi digiti, toties huic, aut illi victoria; unusquisque enim e ludentibus sibi numerum eligit parem, vel imparem; summa autem digitorum semper aut par, aut impar exstet necesse est. Hinc praeceps in finem et ruinam ludus; atque hac de causa avaritiae inhianti carior, potiusquam deliciosus bibacibus. Sunt autem qui ludo huic inserviunt fascia ad oculos obstricta, ne videant adversarii digitos. Duo vel plures adsunt testes, qui iubent exserere digitos, et «par!», vel «impar!» proclamat, neque numerum, puta quatuor, octo, sex, vel tres, septem, novem, enunciant, idque eo potissimum ut nihil ars, nihil calliditas vindicet, sed sibi totum arroget, suumque ducat fortuna.

*Mora* (eccur non utamur hac vice?) raro sine lite absolvitur, et saepe humano sanguine sceleratur, ob vini non dicam frequentiam, sed inundationem; «par impar» saepe brevi hora integrae hebdomadae laboriosae mercedem absumit. Quae voluptas tam perniciosorum ludorum, quibus aut salus et vita, aut res familiaris periclitatur?

P. d. V.

*Magna virtus est, si non laedas a quo laesus es; magna virtus est, si cui nocere potuisti parcas; nobile vindictae genus est ignoscere victo.*

HUGO.

**Ad victoriam ex praelio consequendam, oportere milites audaces esse, et cum suis propriis viribus, tum Imperatoris virtuti confidentes.<sup>1</sup>**

Ad vincendum, et praelio superandum hostem, necesse est ut exercitum habeas, qui hoc sibi persuadeat, se facturum esse ac facere posse. Confidentialia autem illa oriuntur ex bona militari disciplina, et convenienti omnium rerum administratione. Inter cetera vero hoc etiam requiritur, ut cognoscant se mutuo milites, tamquam si enutriti quasi simul sint. Imperatorem vero imprimis talem esse oportet, ut eius existimatio apud militem magna sit, et talis, ut de illius virtute prudentiaque nullo modo dubitare possit. Ut autem eam sibi comparare valeat, prudenter omnia administranda sunt, et accurate, ut vel ipsis testibus tua virtus enitere videatur. Imprimis vero curandum ne frustra militem laboribus fatigis, aut delicta, praesertim gravia, impunita relinquas: quae autem promittit, servare debet, et Victoriae viam facilem ostendere, quaeque ei obstare videntur, aut plane celare, aut, si patefiant, eorum vim minuere verbis, et extenuare.

Quae omnia si recte observentur, permagnum pondus habent cum ad auctoritatem imperatori conciliandam, tum ad victoriam comparandam.

Populus Romanus ad haec omnia utebatur. Itaque auspicato et ipsos consules creabant, et delectus militum habebant, et exercitum educebant, et praelia commitebant; nec quicquam horum a sapiente imperatore unquam factum, quin prius auspicia consuleret, ut deorum immortalium voluntate atque iussu bella gerere vide-

<sup>1</sup> Ex NICOLAI MACHIAVELLI opere, cui titulus: *De republica disputationes ex prima decade T. Livii latine vertit H. BINDI.*

## VARIA

rentur; ex quo fiebat, ut miles certam atque promissam a diis victoriam fore confideret. Quod si quis imperator contemptis auspiciis infelicitate praelio dimicasset, eas poenas luebat, quas Claudius Pulcher solvere coactus est, quum aves, quae non pascebantur, iussisset submergi. Huiusmodi exemplorum pleni sunt omnes historiae romanae libri; e quorum numero si evidentissimum aliquod habere cupis, Appium Claudiu[m] audi contra tribunorum potestatem in hunc modum disserentem: Eludite nunc religionem, inquit. Quid enim si pulli non pascantur? si ex cavea tardius exierint? si occinuerit avis? Parva sunt haec, sed parva ista non contemnendo, maiores nostri maximam hanc Rempublicam fecerunt. Ob eam nimirum causam, quod coniunctam quum habeant religionem, animos militum in officio continerent, confidentesque efficerent

Necesse est tamen cum hac confidentialia virtutem coniunctam esse, quod ad victoriam comparandam sola nequaquam sufficeret. Exemplo esse possunt Praenestini, qui, adversus Romanos bellum gesturi, castra posuerunt ad Alliam flumen, ut ex eo ipso loco agrum Romanorum popularentur, quo illi prius a Gallis fusi et in fugam coniecti essent, fatalem se urbi Romae locum cepisse iactantes, similemque inde pavorem ac fugam futuram quae bello Gallico fuerit. Nam si diem contactum religione Romani timeant, quanto magis Alliensi die Alliam ipsam, monumentum tantae cladis, reformidare eos oportebit? Sed quum inanum rerum cogitationes ac spes secum animo volverent, et fortunam ex loco pendere putarent, Romani e contra, ubicumque esset latinus hostis, satis sciabant eum ipsum esse, quem saepe ante devicissent, virtutemque suam talem esse, quae nullis locorum difficultatibus succumberet. Itaque ad suos Q. Cincinnatus dictator sic locutus est: «Videtis Praenestinos, loci fortuna fretos, ad Alliam constitisse?

At nos freti armis animisque concitatis equis mediam aciem invademus». Et recte quidem: vera enim virtus, cum militum robore et disciplina militari coniuncta, multis victoriis confirmata, levibus huiusmodi momentis, nequaquam perturbatur.

## MULLI DUO

*Risum moveas, si quod verbis iactaveris  
Facies re inane et bis culpae sis particeps.*

*Iter dum pergunt duo viatores idem,  
Alter laboris lenit vim leporibus  
Verbosus: muto pulsat alter passu humum.  
Cadente sole detorquet simul pedes  
Uterque; accumbunt laute in deversorio.  
Grylli dum rura tinnula sonant voce  
Epulae mensam onerant Liberi et bellaria.  
Duos post ova fricos inter pocula  
Puer fert lance mullos pondere haud pares:  
Alterno inter se nutu urgent praesumere  
Caput escarum convivae: lanx it et reddit  
Non comitatis causa sed cupidinis;  
Ictu postremo maiorem involat vafer  
Prior, rabulaque frontem rugis exarat,  
Peiorem verrit et livore rumpitur.  
Novae quaerenti causam displicantiae  
«Mihi praesumenti sat nullus erat minor»  
Dixit; tum alter ovans duplice victoria:  
«Habes, macte» ait «et quid queraris ne-  
[scio].*

M. GINOTTA.

## Pro iudicibus mensarum elegantibus

*ESCARUM ORDO:  
Puls ex pileolis Bononiensibus.  
Pastilli furfurei, perna et recenti caseo  
gravidi, ad furnum acti.  
Pullastræ in trulla cum vino albo decocta.  
Asparagi elixi, butyro conditi.  
Mellinuceum Natalicium.*

## locosa

• TUCCIAS familiae suae propinquo cuidam:  
— Pater meus affirmat te adversis omnino ventis navigare; ubi habes, quaequo, naviculam?...

TUCCIU, Nataliciis diebus adventantiibus, augurales litteras patruo scribit non sine spe aliquo munusculo iri remuneratum. Re quidem vera, patruus ad eum venit, gratias agit, et iocose ostendens hinc argenteum quinque libellarum numisma, inde reipublicae syngrapham libellarum decem, ait:

— En, Tucci, horum alterum tibi est: utrum mavis?

TUCCIU breviter cunctatus numisma arripiens:

— Hoc deligo; ne vero deperdam, in ista charta involvam.

Simul syngrapham capit, ac fugit.

#### Aenigmata

##### I

Rideo telluri septenus ab Iridis arcu.  
Principium muta! Tristia corda premo.

##### II

Propter me bellabatur quinquennia bina.  
Principium mutas? Endymio, tua sum.

##### III

Usus sum certus, stabilitus tempore longo.  
Principium muta! Rus patienter aro.

##### IV

Sum turris septem miraclis adnumerata.  
Principium mutas? Aequora per volito.

FR. PALATA.

Aenigmata in superiore numero proposita his respondent: 1) *Imago-Mago*; 2) *Mens-Dens*.

## ANNALES

### Viae ad pacem

Dum in Cecoslovachia res in quiete sunt compositae, novusque rei publicae praeses electus est Aemilius Hacha, Bohemus, iuris peritus, qui aequi animi atque religionis sua plura per vitam edidit documenta, inter Angliam et Italiam pactio perfecta est d. XVI superioris mens. aprilis

inita, qua instituta legesque constituuntur de rationibus futuris inter duos populos in mari Mediterraneo, recognitumque Italicum Africae orientalis imperium; quod pariter Gallia efficit, renovata utrinque legatione, nonnullis abhinc annis intermissa. Praedicatus autem est Chamberlaini summi Anglici gubernii administrati, et Halifax, exteris negotiis praefecti, Romam proximus adventus ad ulteriora pertractanda; qui prius ad studium pariter Europaearum rerum status persequendum Lutetiam Parisorum adierunt.

#### Bellica

Interim tum Hispanicum civile bellum, tum Iaponiorum in Sinas incursio perdurant; in Palaestina autem Angli, locis, quae iam in manibus Arborum rebellium ceciderant, iterum occupatis, Aegyptum, Irak, Arabiam Sauditam, Transiordaniam, ipsamque Iudeorum Procurationem invitarunt, ut legatos suos Londinum mitterent, qui simul de Palaestinensi quaestione solutionem aliquam inventuri sint.

Proximis denique diebus et ex Rumenia perturbationes nunciatae sunt; ubi factio quaedam gubernio adversa quum ad vim intendere videretur, eius principes, ipsoque duce Codreanu, in vincula detrusi sunt. Quum autem extra urbem curribus transferrentur, et ad silvam aliquam pervenissent, ignoti quidam ignivomis ballistis commeatum adorti sunt. In tumultu, qui inde factus est, captivi inter opacas sepes effugium quaerere conantur; at ab insegnibus custodibus petiti, quatuordecim, Codreanu non excepto, vitam amiserunt. Inde sociorum in civitate commotio, quae nondum, dum scribimus, omnino exsaevit.

#### POPLICOLA.

#### IMPRIMATUR:

† Fr. ALFONSUS C. DE ROMANIS, Ep. Porphyreonen.  
Vic. Gen. Civitatis Vaticanae.

Dr. JOSEPHUS FORNARI, Moderator, Sponsor.

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

## INDEX RERUM VOL. XXV

(AN. XXV – FASC. I-XII)

#### Actiones dramaticae

	PAG.
Regulus ( <i>I. Collin-F. Fehér</i> ): 17, 35, 53, 71, 89, 107, 125, 161, 180.	45

#### Alloquia sociis et lectoribus . . . 1, 124, 181.

#### Annales 14, 32, 50, 67, 86, 104, 121, 140, 143, 158, 177, 196.

#### Archaeologica

De picturis sepulcralibns in Christianorum catacumbis ( <i>S. S.</i> ) . . . . .	168
--	-----

#### Ars

De spectaculorum pernicie ( <i>I. Antonelli</i> ) . .	37
Epiphania Domini in artibus optimis et moribus populorum ( <i>Senior</i> ) . . . . .	189
(Cfr. quoque <b>Archaeologica, Historica</b> )	

#### Carmina

Prope sacellum Ioannis Pascoli ( <i>V. Polydori</i> ) . . . . .	8
---	---

Pio PP. XI valetudini divinitus restituto, septimum supra decimum Pontificatus annum feliciter ausplicant ( <i>M. Fusco</i> )	19
---	----

Deus-Ancora mea ( <i>I. V. Sládek-F. Palata</i> )	38
---	----

In B. Gemmam Galgani, Virginem Lucensem, dilectam Christi Crucifixi sponsam ( <i>V. Polydori</i> ) . . . . .	44
--	----

Vere novo ( <i>V. Genovesi</i> ) . . . . .	63
--	----

«ΘΑΝΑΤΟΣ» Divi Philippi Nerii die natali ( <i>I. Antonelli Costaggini</i> ) . . . . .	76
---	----

Nonnulla ab Andrea Cricio carmina . . . . .	97
---	----

Leoni XIII septimo volente lustro ab eius obitu ( <i>M. Fusco</i> ) . . . . .	116
---	-----

Circulator in nundinis ( <i>V. Genovesi</i> ) . . . . .	135
---	-----

Valete, Musae! ( <i>I. Morabito</i> ) . . . . .	150
---	-----

Ara pacis Augustae in Urbe restituta ( <i>Hirpinus</i> ) . . . . .	170
--	-----

In Natali sacro ad puerum Iesum; Cantilena in Natali Christi ( <i>A. Cricius</i> ) . . . . .	174
--	-----

Aliquot epigrammata St. Vydra . . . . .	186
---	-----

Festa natalitia in pago ( <i>H. Nozzi</i> ) . . . . .	192
---	-----

(Cfr. quoque **Fabulae**).

#### Certamina poëtica

Certamen poëticum Ruspantium . . . . .	45
Certamen poëticum Hoeufftianum . . . . .	62

#### Civilia

Idiotarum institutio ( <i>R. S.</i> ) . . . . .	47
De publico rerum ordine in primitiva Societate Romana ( <i>S. Romani</i> ) . . . . .	181

#### Communia vitae

Peregrinatio per cubiculum ( <i>P. d. V.</i> ) . . . . .	48
Ludi veteres et recentiores ( <i>P. d. V.</i> ) . . . . .	192
Cfr. etiam <b>Carmina (Circulator in nundinis) et Litterae et Philologia (Nostra res)</b>	

#### Fabulae

Piscator . . . . .	15
Nauta et Viator ( <i>M. Ginotta</i> ) . . . . .	33
Musca et Crabro ( <i>M. Ginotta</i> ) . . . . .	52
Gallus glorus; Sorex, Passer et Milvius ( <i>M. Ginotta</i> ) . . . . .	69
Sorex . . . . .	88
Haedulus et Vultur; Deses ( <i>M. Ginotta</i> ) . . . . .	106
Lupi et Canes . . . . .	123
Vulpes et Anguis . . . . .	142
Senex et Iuvenis . . . . .	178
Mulli duo ( <i>M. Ginotta</i> ) . . . . .	195

#### Historica

Prisca Arabum historia ( <i>D. L.</i> ) . . . . .	3
Ex Nicolai Machiavelli opere « De republica disputationes ex prima decade T. Livii latine vertit <i>H. Bindi</i> :	
— Utrum libertatis custodia optimatibus an populo tutius committatur . . . . .	15, 32
— Qui cupid vel Rempublicam vel Sectatores suos diuturna esse, ea saepe corrigerere debet et veluti ad sua principia revocare . . . . .	51, 68
— Qui vult mutare formam Reipublicae rationem habere debet ipsius subiecti . . . . .	87
— Humanitatis exemplum plus aliquando potest quam magnae vires . . . . .	105